

# OVATIONES

NANCY A. MCKEE

Perdocendo antiquas linguas exegisti “monumentum aere perennius regalique situ pyramidum altius”.<sup>1</sup> Fecisti initium tuorum studiorum in civitate commemorata notis verbis: “si quaeris paeninsulam amoenam, circumspice.” Perfecisti ea in amoeno loco qui docendo discendoque operam dedit. Tum laboravisti in civitate viridum montium, illustri apibus, qua ingentis animos angustis in iugeribus versavisti.<sup>2</sup> XXV annos—dum praecepisti in academia hortarum civitatis prope universitatem veterem, hedera vestitam, immortalis gloria commendata sententia “Dei Sub Numine Viget”—tuo sub nomine viguerunt mentes iuvenum. Studio ingenioque probatis, decorata es honoribus quibus ad Italiam argenteis alis volavisti. Etiam in eodem itinere quod Horatius noster fecit peregrinata es, et discipula Academiae Americanae in urbe ad quam omnes viae ducunt adfuisti. Multum tempus Classicae Societati Civitatum Medio-Atlanticarum te devovisti, non solum ut Praeses sed etiam in pluribus officiis. Praeterea es vox societatis nostrae in consilio nationis nostrae pro propagandis linguis Latina Graecaque. Feliciter pro amantibus antiquitatis classicae, tua industria numquam deminuit, sed etiam hodie manet florens atque vicens. Nunc socii tui elegerunt te Fiduciariam Societatis Vergilianae, quae est carissima et proxima tuo cordi. Diligentiam extraordinariam ad disciplinam nostram sustinendam ostendisti. Ut Cicero dixit, dicimus de vita tua: “Sapientia enim est una quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate vivi.”<sup>3</sup> Plaudamus Nancy A. McKee.

*University of Maryland, College Park*  
CW 90.6 (1997)

ERIC CHROL  
JUDITH P. HALLETT  
GAUTAM PRAKASH  
STEVEN RUTLEDGE  
KENDRA YOUNT

ROBERT W. CARRUBBA

Honoramus hodie collegam eruditissimum qui fidelitate dignitateque de nostra sodalitate sodalibusque bene meritus est.

Titulo et gradu baccalauri artium apud Universitatem Fordhamensem adornatus, factus est docens socius Corporis Pecuniarii Danforthiensis apud Universitatem Princetoniensem, inde titulum et gradum philosophiae doctoris in litteris Graecis et Latinis adeptus est. Deinde sedecim annos erat professor classicarum linguarum et subinde factus est decanus socius Scholae Graduatorum apud Pennsylvaniae Civitatis Universitatem. Postea creatus est socius Americani Concilii de Educatione in Academica Administratione. Stipendia investigandi causa ei delata sunt a Corpore Pecuniario Josiae Macyi Junioris et ab Americano Concilio Societatum Doctarum. Appellatus est scriba praefectusque aerarii Societatis Americanae Philologicae et praeses Classicae Societatis Atlanticorum

---

<sup>1</sup> Horace, *Odes* 3.30.1: *exegi monumentum aere perennius regalique situ pyramidum altius.*

<sup>2</sup> Vergil, *Georgics* 4.83: *[apes] ingentis animos angusto in pectore versant.*

<sup>3</sup> Cicero, *De Finibus* 1.12.43.

Civitatum. Accedit ut editor "Classici Mundi" triennium esset et primus Catalogum Professorum Classicorum apud Collegia Universitatesque in Unitis Civitatibus Canadaque pro eadem societate publicaret.

Hos annos studuit scriptis poetae Quinti Horatii Flacci, de quo ipse multa scripsit et edidit. Deinde sex annos fuit princeps Decanus Graduae Scholae Universitatis Septentrionalis Carolinensis Charlottae. Et aliis muneribus functus est: praefectus et deinde quadriennium Cancellarii Vicarius Universitatis Wisconsinensis apud Oshkoshem. Nunc est Praesidis Vicarius Pro Rebus Academicis apud Universitatem Fordhamensem.

Utinam pergat praeberere nobis omnibus exemplum illustre. Plaudamus igitur Professoři Roberto Guilliemo Carrubbae.

*University of Maryland, College Park*  
*CW 90.6 (1997)*

JUDITH P. HALLETT  
jh10@umail.umd.edu